



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Secundarius matrimonij finis, adiutorium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

est plurimum coniux: neque multum curant parentes, vt liberi bene educantur, quos sciunt, malè esse susceptos, aut non suos. Et cur solliciti essent, vt filios habeant bonos, ipsi mali? Hinc vaga libidine nati plerumque nascuntur patibulis; aut, vt, alio modo, carnifici dent occupationem. Quia eorum parentes non prolem quæsuerunt, sed voluptatem: nec liberis creandis, sed se recreandis operam dederunt: nihil pensi habentes, quomodo educantur, quos mortuos mallent, quàm, cum diuidia sua, in terris obambulare.

V.

Secundus & secundarius matrimonij finis est, mutuum viri ac mulieris obsequium, vt nempe vnus alteri, in communis vitæ consuetudine, in victu, in vestitu, in aduersis, in agritudine, in omni necessitate, auxilio sit, atque ijs officijs, quæ vnumquemque sexum deceant, opituletur. Hunc finem Deus ipse, cum mulierem de costa Adami edificaret, clarè indicauit: *Faciamus homini adiutorium simile sibi.* Hunc mutui auxilij inter virum atque mulierem, vsus bonus esse, apparet ex ipsa inter virum ac mulierem, differentia ac inclinatione. Nam ad alia atque alia propensi sunt viri, ad alia feminae; adeo, vt à quibus officijs & laboribus abhorrent viri, ea ament feminae, & quæ feminae, ob imbecillitatem, facere non possunt, ea robore suo viri assequantur. Nere feminarum est; virorum arare, occare, serere, metere: Nam Adæ dictum est: *Maledicta terra in opere, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vite tue. Spinam & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terra. In sudore vultus tui vesceris pane.* Panem ergo à viris feminae, linum & lana à feminis viri habent. Viri in curia, feminae in culina negotiantur. Virorum officium est, seruos regere, feminarum gubernare ancillas. Quod si aliquando, versis velis, viri, cum Hercule, ad colum sedent, feminae stiuam torquent; aut, cum Amazonibus, clypeum & hastam gestant; profectò tamen viri non pariunt, non lactant, neque in vtero gestant, nouem mensibus, prolem: cum solus Iuppiter Palladem & Bacchum gestarit: sed illam in cerebro, non in vtero; hunc in femore, non in ventre: nec id asseratur, nisi fide fabulosa, ac Poëtica auctoritate. Vix etiam viri prolem in faucibus componunt; aut pul-

Gen. 2. 18.

Gen. 3. 17.

tem vagienti in os ingerunt; aut sordidum balneis mundant; aut, agitatæ cunis, cantillando sopiunt, quæ omnia, cum gustu, mulieres faciunt. Ita prorsus *adiutorium* viri est femina. Sed & vir, pro vxore, apud iudicem litigat; pro vxore, contra inquietantes, pugnat. Denique siue vir, siue vxor ægrotat, *adiutorium* in coninge habet; cum coniuge jucundè colloquitur; ei fidit & confidit; à coniuge patientiùs, amantiùs, diligentius tractatur; vno verbo, quod coniux coniugi facit, sibi facere, ipsi videtur. *Sunt enim duo, in carne vna.* In hoc tanto mutuo subsidio magnum est vtrique bonum. Bonum igitur & matrimonium esse necesse est, quod à natura in hunc ad eò bonum finem, per se atque ex natura sua, immò etiam ex sapientissimo Dei consilio, ordinatur. Onus vnum faciliùs ferunt duo. Vnde *coniuces* tanquam duo sub vno iugo, maximè putent sibi dictum: *Alter alterius onera portate.* Huius mutui amoris atque auxiliij paradigma singulare fuit Dominicus Catalufus, qui Lesbi rerù potiebatur. Nam cum eius coniux leprâ esset defœdata, ille minimè veritus, à contagione se infici posse, aut aspectus horrore auerri (illuies enim, non viuum corpus videbatur) neque tetro odore, quem vlcera mittebant, mouebatur, vt aut mensa, aut lecto eam communi prohiberet. *Coniugalis enim charitas, apud eum, contagionis timorem; tetrumq; conspectum odoremq; in securitatem ac voluptatem verterat: quòd eam, iuxta Dei verbum, eandem carnem secum esse arbitrabatur.* Excusasset eum lepra, à tanta familiarite; sed coniugale vinculum ac amor præpotuere.

Exempla etiam Ethnicorum habentur illustria. Theogena vxor Agathoclis Siciliæ regis, ab agro marito, se diuelli nullo modo passa est, dicens: *Nubendo se non prospera tantùm, sed omnis fortuna inisse societatem; nec inuitam, sui spiritus periculo, emturam, vt extremos viri spiritus exciperet.* Memorabile quoq; est facinus feminarum Lacænarum, quæ captiuos viros, mutatis vestibus, liberauerunt, ipsæq; in captiuorum locum substituerunt. Quod etiam de nostris legimus, quæ ira efflammatos maritos suos amauerunt, vt, Conrado III. Imperatore, aduersus Guelfonem bellum gerente, oppidumq; Winsperg in-

Fulgos lib. 4. cap. 6.

Gal. 6. Fulgos lib. 4. cap. 6.

VI.

Io. Naucler. vol. 2. gener. 38. An. 1138.